

**2000-02-17 – SS Ioannes Paulus II – Constitutio ‘Tierradentroensis’**

**IOANNES PAULUS EPISCOPUS  
SERVUS SERVORUM DEI  
AD PERPETUAM REI MEMORIAM**

**CONSTITUTIO APOSTOLICA**

***TIERRADENTROËN***

**PRAEFECTURA APOSTOLICA TIERRADENTROËNSIS IN COLUMBIAE FINIBUS  
AD STATUM VICARIATUS APOSTOLICI ATTOLLITUR**

Sollicitam curam pro viribus adhibere solemus ut universa Domini familia spiritalibus praesidiis copiisque affluens magno sit cunctis ipsis fidelibus emolumento eorundemque saluti affatim inserviat. Idcirco nullam Nos interponere moram volumus quin cuncta disponamus ut facilius hoc commodiusque eveniat. Quandoquidem igitur Praefectura Apostolica Tierradentroensis, intra Columbiae fines sita, Congregationis Missionis sodalibus studiose animoseque operantibus, haud parum succrevit, de consilio Congregationis pro Gentium Evangelizatione, decernimus ut illa quam supra diximus Praefectura ad Vicariatus Apostolici dignitatem attollatur, eodem servato nomine *Tierradentroënsi*. Haec omnia ad expedienda Venerabilem Fratrem Beniaminum Stella, Archiepiscopum titulo Midilensem legamus, facta videlicet facultate quempiam alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum subdelegandi. Re tandem ad exitum perducta, documenta apparentur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione diligenter mittantur, contrariis rebus minime officientibus quibuslibet.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die septimo decimo mensis Februarii, anno Domini bis millesimo, Pontificatus Nostri altero et vicesimo.*

+ANGELUS card. SODANO  
*Secretarius Status*

IOSEPHUS card. TOMKO  
*Congr. pro Gentium Evang. Praef.*

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*  
Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*

Loco+Plumbi

*In Secret. Status tab., n. 471.083*